

PARTIS II TRACTATVS V

ipsis ethicae mandatis habuerimus exordium: sed in illud quod propheta dicit, **A** mandatis tuis intellexi: quod videlicet post opera: coeperit habere scientiam secretorum. Verum iam complendum est quod petisti: ut sensum unius cuiusque elementi interpretatio annexa significet. **A**leph: doctrina interpretata. **B**eth: domus. **G**imel: plenitudo. **D**eleth: tabularum. **H**e: ista. **V**au & **Z**ai: haec. **E**th: vita. **T**het: bonum. **I**oth: principium. **C**aph: manus. **L**amech: disciplinae siue cordis. **M**en: ex ipsis. **N**un: sempiternum. **S**amech: adiutorium. **A**in: fons siue oculus. **P**he: os ab ore non ab osse dictum intellige: ne litterarum ambiguitate fallaris. **S**ade: iusticia. **C**oph: vocatio. **R**es: capitis. **S**en: dentium. **T**hau: signa. Post interpretationem elementorum: intelligentiae ordo dicendus est. **A**leph **B**eth: **G**imel: **D**eleth. Prima conexio est: doctrina domus: plenitudo tabularum: quod videlicet doctrina ecclesiae: quae domus dei est: in librorum reperit plenitudine diuinorum. Secunda conexio est: **H**e: **V**au: **Z**ai: **E**th: ista & haec vita. Quae enim alia potest esse vita: sine scientia scripturarum: Per quos etiam ipse Christus agnoscitur: qui est vita credentium. Tertia conexio habet: **T**het: **I**oth: bonum principium: quia quis nunc sciamus uniuersa quae scripta sunt: tamen ex parte cognoscimus: & ex parte propheta murus: & nunc per speculum in aenigmate videbimus. Cum autem meruerimus esse cum Christo: & similes fuerimus: tunc librorum doctrina cessabit: & tunc videbimus faciem ad faciem bonum principium sicuti est. Quarta conexio est: **C**aph: **L**amech: manus siue disciplinae siue cordis. Manus intelliguntur in opere: cor & disciplina intelliguntur in sensu: quia nihil facere possimus: nisi prius quae facienda sunt scierimus. Quinta conexio est: **M**em: **N**un: **S**amech: ex ipsis sempiternum adiutorium: hoc explanatione non indiget: sed omni luce manifestius est: ex scripturis aeterna subsidia ministrari. Sexta conexio habet: **A**in: **P**he: **S**ade: fons siue oculus oris iusticiae: sed in illud quod in quarto numero exposuimus. Septima conexio est: quae est extrema: quo & in ipso quoque septenario numero sit mysticus intellectus: **C**oph: **R**es: **S**en: **T**hau: vocatio capitis: dentium signa. Per dentes articulata vox promittitur: & in his signis: ad caput omnium qui est Christus peruenit: per quem venitur ad regnum sempiternum. Oro te: quid hoc sacratius sacramentum: Quid hoc sacramentum voluptate iocundius: Qui cibi: quae mella: sunt dulciora quam dei scire prudentiam: & in abdita eius intrare: & sensum creatoris inspicere: & sermones domini dei tui: qui ab huius mundi sapientibus derident: plenius discere: sapientia spirituali: Habeant sibi caeteri si velint suas opes: vase gemato bibant: seruetur co niteant. Plausu populi delectentur: & per varias voluptates suas diuitias vincere nequeant. Nostrae diuitiae sint in lege domini meditari die ac nocte: pulsare ianuam non patentem: panes trinitatis accipere & saeculi fluctus domino praeeunte calcata. Saluta **B**lesilla & **E**ustochium tyrunculas nostras. Saluta **F**elicianam vere carnis & spiritus virginitate foelicem. Saluta reliquum castitatis chorum: & domesticam tuam ecclesiam: cui omnia etiam quae tuta sunt timeo: ne dormiente patrefamilias: inimicus homo zigania sua perseminet: quis enim dicere audeant: ego ciuitas firma: ciuitas quae non oppugnat: nullo hostili obsidente exercitu securus est. Nemo ut beatus **C**yprianus ait: satis tutus: periculo proximus. Exemplar epistolae si accipere voluerit studiosissima **E**ustochium: nostra **M**arcella tribuito: & memento mei: obsecrans ut dominus noster Iesus christus coterat sathanam sub pedibus nostris velociter. Amen.

Beati Hieronymi praefationem ad **M**arcellam de decem nominibus quibus apud Hebraeos dicitur deus & singula nomina latine exponentis.

EPISTOLA

LXII.

Nonagesimum psalmum legens in eo loco qui inscribitur: Qui habitat in adiutorio altissimi mihi in protectione dei caeli commorabitur: dixeram apud hebraeos pro deo caeli esse positum **S**adai: quod **A**quila interpretatur canon: siue quod nos robustum & sufficientem ad omnia perpetranda percipere possumus: unumque esse de decem nominibus: quibus apud hebraeos deus vocatur. Illico studiosissime postulasti: ut tibi uniuersa nomina cum sua interpretatione dicererem. Faciam quod petisti. Primum nomen dei est **E**l. quod **LXX**. deum: **A**quila eius exprimens: id est fortem interpretatur. Deinde **E**loim & **E**loe: quod & ipsum deus dicitur. Quartum **S**abaoth: quod **LXX**. virtutum: **A**quila exercituum interpretatur. Quintum **E**lion: quod nos excelsum dicimus. Sextum **E**serieie: quod in **E**xodo legitur: qui est misit me. Septimum **A**donai: quod nos dominum generaliter appellamus. Octauum **I**a: quod in deum tantum ponitur: & in alleluia extrema syllaba sonat. Nonum: id est ineffabilem putauerunt aliqui: his litteris scribitur: **I**oth: **H**e: **V**au: **H**e: quod quidam non intelligentes propter elementorum similitudinem cum in graecis litteris reperint legere consueuerunt. Decimum quod superius dictum est **S**adai: & in **E**zechiel interpretatum ponitur. Scire autem debemus: quod **E**loim communis numerus sit: quod & unus deus sic vocetur: & plures: ad quam similitudinem caeli quoque appellatur: & caeli: id est **S**amaim. Unde & saepe interpretes variam: cuius rei exemplum nos in lingua nostra habere possumus **f**alona.

Eiufdem ad eandem **M**arcellam tria verba hebraica ex pluribus exponentis: videlicet **A**lleluia